



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA DATA

***PAULO S.R.E. CARDINALI POUPARD,
PONTIFICII CONSILII DE CULTURA PRAESIDI EMERITO,
NOMINATO MISSO EXTRAORDINARIO
AD XXII CONGRESSUM MARIOLOGICUM MARIANUM INTERNATIONALEM***

Venerabili Fratri Nostro

PAULO S.R.E. Cardinali POUPARD

Pontificii Consilii de Cultura Praesidi emerito

Si quidem annorum decursu singularem pietatem peculiaremque cultum Virgini Mariae tribuere in orbe terrarum fideles consueverunt, id insigne apud Lapurdense sanctuarium copiosius evenire novimus, quo turmatim homines confluere solent animi corporisque beneficia petituri. Ibidem enim Immaculata Virgo apparuisse perhibetur quaedam necessaria monita cum significaret, ut, transituris rebus posthabitatis, aeterna sine cunctatione peterentur.

Perpetua singularisque illa pietas, qua erga sanctissimam Iesu Christi Matrem fertur Ecclesia, impellit ut quam amplissime ipsa cognoscatur et theologicis vestigationibus confirmetur.

Quapropter diebus IV-VIII mensis Septembbris XXII Congressus Mariologicus Marianus Internationalis agetur, in quo de ipsa Deipara praeclarorum doctorum perspicua erit inquisitio, variis de Ipsa argumentis diserte agitatis.

Decet igitur et admodum convenit ut congressus hic congruenter optimoque iure extollatur. Ipse enim copiam dat et facultatem non de Mariali doctrina dumtaxat disserendi, verum animos ad ferventiores religionis sensum, firmorem fidem certioraque proposita permovendi.

Quocirca ut congressus hic magnificentius evolvatur, mittere aliquem eminentem virum statuimus, qui partes Nostras sustineat et personam agat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster,

cogitationem convertimus, qui prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, Missum extraordinarium renuntiamus et constituimus, qui congressum illum rite praesideas.

Universis igitur dissertatoribus, participibus auscultatoribusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes et cohortationem ad mariale studium signifiques. Omnibus Nostro nomine Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et supernarum gratiarum nuntiatrix.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Iunii, anno MMVIII, Pontificatus Nostri quarto.

BENEDICTVS PP. XVI

© Copyright 2008 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana